



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismvs  
Catholicus, summam Christianæ institutionis IIII. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

1. Quid Apostolus vocet co[n]scientiam, & quid cauterizatam  
conscientiam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

gloriari de redēptione & misericordia Dei.

Sapiens inquit Eccl. 23. Nihil melius est super terra timore Dei: quid aurum? quid honores sine timore Dei? Et Psal. 18. inquit Prophetā: Timor Domini sanctus permanet in seculum seculi, id est, timentes Deum permanebunt & conseruabuntur in mundo, quantumcunque tyranni & suppressores pauperum tumultuantur. Si enim pro illis Deus, quis contra eos? Rom. 8. Sic quoque beata virgo canit Lucæ 1. Et misericordia eius à progenie in progeniem timentibus eum. Et Psal. 33. inquit Dauid: Timete Dominū omnes sancti eius, quoniam nihil deest timentibus eum in veritate, & Christus quoq; Mat. 10. inquit, Timete eum qui potest corpus & animam perdere in gehennam. Summa, qui timet Deum, is non peccat, is faciet bona, & hic non relinquetur à Deo tam in hac, quam post hanc vitam. Ideo parentes vehementer inculcare tenentur pueris timorem Dei ac punitionem peccatorum, sicut dixerunt Angeli ad Abraham Gen. 18. Nihil ergo proderit, esse receptum in gratia, nisi in timore Domini custodierimus thesaurum.

## CAPVT XXXIX.

## ARGUMENTA.

1. *Quid Apostolus vocet conscientiam, & quid canterizatam conscientiam.*
2. *Quod maxima cōsolatio hominis coram Deo & mundo in rebus & fama sit testimonium internum conscientiae.*
3. *Quod sicut nihil est melius bona conscientia, ita nihil peius mala conscientia homini.*

Postolus loquitur ad Timothēum, scribens de duplice hominis conscientia, & de bona inquit 1. Tim. 1. Finis p̄cepti est charitas, de corde puro, & con-

K. S. scien-

scientia bona, & fide non facta. fides enim purificat cor & conscientiam. Igitur ea conscientia bona dicitur, quae est purificata fide, Act. 15. fide purificans corda illorum, scilicet qui credunt quod datus sit nobis Christus a Deo sapientia, iustitia, 1. Cor. 1. & redemptio, & quod mortuus est pro peccatis nostris, Ro. 4. & hanc fidem sequitur charitas erga Deum propter acceptum beneficium, quem non indiget lege, sed a semetipsa facit ea quae sunt legis. Et eam conscientiam vocat Apostolus bonam, quae omnia ex amore Dei liberè facit in gratiarum actione recepti beneficij. Insuper conscientia bona dicitur, quae præfert & plurimum estimat verbum Dei, præcepta Dei, fidem, timorem, dilectionem, misericordiam, patientiam, veritatem, & cæteras huiusmodi virtutes interiores, & verum Dei cultum, ne talis violetur aut negligatur, quam traditiones humanas, ac reliqua minora præcepta & opera. Nam bona conscientia potius dolet, si violatur Dei præceptum, Euangeliū, aut si quid est huiusmodi, quod scriptura manifeste prohibet, quam si negligatur præceptum hominum, quanquam &c. Iudicium loco suo non sit temere violandum: Respicit ergo conscientia bona ad diuina præcepta utriusque tabulæ: & grauius ibi peccatum sibi facit, quam in violatione traditionum humanarum. Deinde Apostolus loquitur de cauterizata conscientia, 1. Timot. 4. Et est illa conscientia quae bonum putat malum, vel magni estimat & plus traditionem humanam, quam Dei præceptum, grauiusque existimat fore peccatum. Sic cibos quosdam & matrimonium tanquam mala prohibuerunt olim Manichei & Priscillianitæ, cum bonæ sint creature, & Matt. 23. Pharisei decimabant minora, Cyminum, Anethum, mentha, & relinquebant maiora legis, iudicium, misericordiam & fidem. Consimili modo fit in statutis quibusdam & præceptis hominum, ybi scortatio, inuidia, ebrietas,

ebriet scriptum  
tum si  
niundum  
stum c  
statuta  
post te  
nonica  
direti  
quam  
corem  
lia: &  
zata, &  
dicunt  
dæ sun  
14. Sed  
rim pr  
scienti  
præfer  
Euang  
per ced  
&c  
Apo  
solatio  
stræ, &  
um vel  
do in r  
uersum  
tuperat  
soft. Qu  
tia tua i  
& cons  
entiam  
tur. Te  
tia, siue  
Eccl.

ebrietas, mendacium, blasphemia &c. quæ Deus & scriptura prohibuit, nemo curat neque punit, sed tam statuta & leges hominum curantur. Sic iudei mundi volebant manducare pascha, at tamen Christum crucifigunt, Ioan. 18. Matthæi 27. sic propria statuta & inuenta strictè seruamus, & Dei præcepta post tergum reijcimus. Si quis horas negligeret canonicas, vel Monachus ad horam sine cuculla prodiret in publicum, grauius aestimant peccatum fore, quam quod quotidie est ebrius, tenet in corde rancorem, malos & luxuriosos cogitatus, & id genus alia: & hæc dicitur obstinata conscientia vel cauterizata, & habet suum signum. Verum hæc à nobis non dicuntur, ut traditiones violentur, sed potius seruandæ sunt propter bonum ordinem in Ecclesia, 1. Cor. 14. Sed si quis per hæc velit iustificari, neglectis interrim præceptis diuinis, hæc esset mala & erronea conscientia. Sic tamen illa seruanda sunt, ut illis longè præferamus in conscientia nostra diuina præcepta & Euangelicam veritatem. Nam his prioribus semper cedere debent inferiora, tanquam testa nucleo &c.

Apostolus inquit 2. Corinth. 1. Gloria, id est, consolatio nostra hæc est, testimonium conscientiae nostræ & Proverb. 15. Secura mens quasi iuge conuiuum vel gaudiū, hæc conscientia coram Deo & mundo in rebus & fama consolatur, quantumcunq; diuersum iudicet mundus: si mundus vel laudat vel vituperat, conscientiae testimonium concludit. Chrysostom. Quid prodest si omnes te laudant, & conscientia tua te accusat? quid obest, si te omnes condemnant, & conscientia excusat? Ideò 1. Pet. 3. Habete conscientiam bonam, ut qui detrahunt vobis, confundantur. Testimonium igitur coram Deo reddit conscientia, siue id bonum vel malum fuerit.

Eccl. 13. Bona est substantia, cui non est peccatum in con-